

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.
Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus
tibi propter magnam gloriam tuam.

Domine Deus, rex coelestis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili
unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, agnus Dei, filius Patris.

Qui tollis peccata mundi, miserere nostri! qui tollis peccata mundi,
suscipe deprecationem nostram! qui sedes ad dexteram Patris, miserere
nostri!

Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus
Jesu Christe.

Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Zweiter Theil.

Ouverture.

Variationen auf der Violine, vorgetragen von Heinr. Präger.

Fortsetzung der Missa.

Credo, Sanctus, Benedictus und Agnus Dei.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et
terrae, visibilium omnium et invisibilium.

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et
ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine,
Deum verum de Deo vero genitum, non factum, consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram
salutem descendit de coelis.

Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus
est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est.

Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum,
sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare
vivos et mortuos, cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre
Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur;
qui locutus est per Prophetas.